



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Eiusdem D. Ioan. Crys. ad contemptum rerum mundanarum, ab exemplo  
diuitis epulonis, Exhortatio. vij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

vocat, Dominus angelorum est: ea verò qua conferentur bona, & explicationem sermonis, & cogitationem mentis excedunt. Non enim te à terra trāsponit in terram, vt terrenus iste Rex: sed à terra extollit in calum, & à mortali ad immortalem profectò naturam, atque ineffabilem gloriam: qua tūc solummodo cernenda à nobis erit, quando etiam possidenda. Tancorum igitur particeps futurorum bonorum, noli auri argentiq; curis onerare mentem: ceterisq; huiusmodi umbris atque imaginibus illudere. An fortè non putas omnia ista qua cernimus, comparatione celestis Regni, medicorum paniculis esse viliora?

Conc. 1. de  
Dione &  
Lazaro.

Eiusdem D. Ioan. Chrystostomi ad contemptum rerum mundanarum, ab exemplo diuitis epulonis, Exhortatio.

CAPVT.  
VII.

**M**Ortuus est autem diues & sepultus. Hic mihi considera mensas argento circumtectas, lectos, tapetia, ornamenta, qua tota in domo sunt omnia, ungueta, aromata, vini meri copiā, eduliorū varietates, ciborum delicias, coquos, adulatores, stipatores, famulos, ac reliquam vniuersam pompam strepitumq; extinctum marcidumq; factum. Vbiq; cinis, vbiq; fanilla & puluis, lamenta & luctus, nemine succurrente, neq; semel egresam animam postea renocante. Tunc declarauit, quid possit aurum: quid possint copiose diuitia. Siquidem eam frequenti famulitio nudus abductus est & solus, nihil ex tanta beneficentia secum ferre valēs: sed desertus, indefensus & neglectus: nullus eorum qui prius auxiliabantur aderat erepturus à pœna & supplicio: sed ab omnibus illis diuisus, solus in se recepit, vt illa non ferēda supplicia sustineret. Verè omnis caro scētū: & omnis gloria hominis tamquā flos graminis: exaruit gramē, & flos

Esa. 49.

& flos decidit: sed verbum Domini manet in aeternum. Venit mors, & extincta sunt illa omnia: perinde quasi in somnis vniuersis illis delirijs fruitus fuisset. Ac post haec supplex factus est diues pauperi: atq; nūc illius eger mēsa, qui dudū esuriebat: illius, qui canum rostris obiectus iacebat. Ita res commutata sunt: vniuersi cognouerunt, vter fuerit diues, vter pauper: quodq; Lazarus quidem omnium fuerit opulentissimus, ille contra omnium pauperrimus. Quemadmodum enim actores in scaena regū ac ducum personas, item mendicorum assumentes ingrediuntur, cum ipsi nihil horum sint: sic sane & in praesenti vita, paupertas & diuitia nihil aliud sunt quam personae. Quemadmodum igitur instante vespere, digressifque qui confederant, vbi fuerint a theatro egressi, habitumq; fabulae deposuerint: qui prius reges & duces videbantur, post apparet id quod sunt: ita sane et nunc, postquam mors aduenerit, theatrumq; dimissum fuerit, cū diuitiarum paupertatisq; personas deposuerint, omnes illic profecti, atque ex solis operibus iudicati, declarant qui vere sint diuites, qui vere pauperes: qui honorati & qui humiles. Itaq; frequenter fit, ut qui hic in diuitum numero fuerit, illic reperiatur omnium pauperrimus: id quod accidit huic diuiti. Nam simul atque incubuerat vespere, hoc est, mors: eaq; praesentis vita theatro egressus est, personamq; deposuit, visus est illic omnium esse pauperrimus: adeo vero pauper, ut ne guttam quidem aqua haberet in sua potestate.

De Amore in coniugem & liberos, aliosque propinquos: & Cura pauperum pro coniuge, & pupil-  
lis egenis.

CAUSA  
III.

Quin & mortis amaritudinem vehementer auget  
coniunx & liberi, ceteriq; propinqui & necessary:  
quos

CAPVT.  
VIII.